



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 115. Plures libri a Senatu ad Facultatem transmissi, ac proscripti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](#)

**S**ecul. XVI na sit damnatione dignus. Hi errores  
A C 1553. haud absimiles erant illis, qui a Burde-  
galensibus delati per Facultatem fuere  
damnati. Ex altero libro de explica-  
tione orationis Dominicæ pariter tres  
depromebantur propositiones, quæ ver-  
tabantur circa satisfactionis opera, &  
piarum actionum merita, quæ Auctor  
evertere nitebatur. Ceterum reperiun-  
tur hujus censuræ quædam fragmenta  
in libro, qui Anno millesimo sexcen-  
tesimo sexagesimo primo Parisiensibus  
literis excusus prodiit sub hoc titulo:  
*Collectio Auctorum, qui Sacræ Paginæ  
traditiones in lingua vulgari condemnant.*

§. CXV.  
*Alicæ censuræ contra plures libros a  
Senatu ad Facultatem transmissos  
pronuntiatæ.*

*Argentre t. 2. p. 220.* **E**adem Facultas die trigesima ejusdem  
Mensis Augusti suam sententiam se-  
rebat contra quosdam libros a Senatu  
Parisiensi delatos, quorum erant duo,  
eorumque primus nomen Claudi De-  
spensi, titulum vero: *Paraphrasis, seu  
Meditationes in Orationem Dominicam*  
præferebat, alter vero inscribebat:  
*Consolatio in adversis.* Itaque Facul-  
tas declarabat, hosce libros, cum pro-  
positiones obscuras, ambiguas, erro-  
neas, ac de hæresi suspectas contineant,  
esse

esse supprimendos. Postea tres Psalmo-Sæcul. XVI.  
rum libri Gallice reddit*i*, variisque in locis editi examinabantur, ac sua notabantur censura, cuius ratio hæc affertur: *quia simplices ex rerum difficultate in errorem facile possunt deducere, insuper quedam ibidem continerentur, in quibus Autbor non in omnibus Latinam, & ab Ecclesia receptam versionem sequitur.*

Insuper eadem Facultas alium novi Testamenti librum Gallice redditum prescribebat, eoquod erroribus scateret, ac insuper a Vulgata recederet. Pariter damnabatur Gallica operum Lactantii versio, cum pluribus obnoxia esset erroribus, quos rudes haud facile discernere possent. Denique Decanus supprimenda statuit quedam Biblia in linquam Gallicam translata, eoquod inter apocryphos temerarie rejicerent quosdam libros Canonicos, & in Indice, sive in Tabella continerent alias propositiones scandalosas, erroneas, de hæresi suspectas, & hæreticas, nec non plerisque in locis recederent a Latina, & recepta translatione.

Die sexta Septembbris judicium jam antea latum contra Claudium Despensum confirmabatur, potissimum eo nomine, quod ejus expositio Orationis Dominicæ absque Facultatis consensu con-

Zz 2 tra

Sæcul. XVI. tra edictum Regium fuerit typis vul-  
A.C. 1553. gata. In eodem quoque confessu san-  
citum erat, Regi libellum supplicem esse  
porrigendum circa Nicolai Harnois Car-  
melitæ caussam, eoquod ille, ut me-  
minimus, ad Senatum provocasset.

## §. CXVI.

*Alia censura circa potestatem laicam  
in dirigendis publicis supplica-  
tionibus.*

Argentre  
p. 221.

Eodem anno die decima quinta De-  
cembris Facultas Sorbonnæ congre-  
gata deliberabat circa caussam Ecclesiæ  
Lavallensis, eoquod illa in Antiphona  
Beatissimæ Virginis *Salve Regina* plura  
immutasset; cum enim hæc Antiphona  
in quodam Sacello affixa exponeretur,  
a muro fuit detracta, eique alia subro-  
gata, in qua Christo Domino ea adscri-  
buntur, quæ Beatae Virgini fuere at-  
tributa: nam præter alias mutationes,  
loco *Salve Regina Mater* dicebatur *Jesu*  
*Christe Rex*, & deletis postremis his  
verbis: *Virgo Maria*, substituebantur  
hæc: *Jesu filii Virginis Mariæ*, &c. Ast  
Facultas damnabat hasce immutations  
tanquam temerarias, scandalosas, schis-  
maticas, ac honori Beatissimæ Virgi-  
nis derogantes, ipsumque Auctorem de  
hæresi suspectum reddentes.

Deni-